









1724.

1. Stefeld, Joh. Ludov. : De natura poenarum humanarum.
2. Kayserus, Joh. Friedr. : De praescriptione pacti de retro-
vendendo.
3. Kayserus, Jo. Friedr. : De forma systematis Germa-
nicae monarchiae. de universitate et principis politicis
et ejus statu interno asserto.
4. Nidelman, Joh. Georgius : De substitutionibus directis.
- 5^{9, 6^{is}} = Heberus, Hermannus : De investituris et servitiis
feudorum ludicris 3 Junii. 1724, 17~~46~~⁶, 1758

1725

1. Arnoldi, Ernestus Christophorus : De successione
foemineae, in dominiis et imperio.
2. Schedell, Johann Nicolaus : De eo, quod circa materiam
hereditationis et praescriptionis Nov. 115 E 3 mutatum
est.

3. Weberus, Immanuel: De appellationibus irregularibus
ut et deo, quod justum vel injustum est circa appella-
tiones in causis politicis.

1727.

Rays, Joh. Hartmann: De jure advocato

the
e



[Faint, illegible handwriting in cursive script, likely bleed-through from the reverse side of the page.]



1724,4

4

Q. D. E. F.
DISPUTATIO JURIDICA INAUGURALIS,
DE

SUBSTITUTIO- NIBUS DIRECTIS,

P. 207
281
P. 279

QUAM
SUB PRÆSIDIO
SS. TRIADIS

EX DECRETO & AUTHORITY INCLYTÆ
FACULTATIS JURIDICÆ
IN
CELEBERRIMA LVDOVICIANA
PRO LICENTIA,
SVMMOS IN UTROQUE JURE
HONORES

RITE AC LEGITIME CONSEQUENDI
SOLENNI EXCELLENTISSIM. ACADEMIÆ PROCERUM

EXAMINI OFFERT
DIE AUGUSTI MDCCXXIV.
JOH. GEORGIUS NEDELMAN
ASSINDIA · WESTPHALUS.



GIESSÆ, TYPIS VID. IO. REINH. VVLPHI ACAD. TYP.



DEO,
PATRIÆ,
PARENTIBUS,
PATRONIS, FAUTORIBUS
ATQVE AMICIS.

Handwritten notes in the right margin, possibly including the number '15'.

Handwritten notes in the right margin, possibly including the number '15'.





PRÆFATIO.

QUAMVIS negari haud possit, quod, sicut reliquas
juris Civilis materias, summo cum diligentia stu-
dio explicarunt, Commentariisque illustrarunt in-
numeri fere Interpretes; ita nec intricatissimam,
SUBSTITUTIONUM, materiam, pro derelicto habuerint,
quin etiam desuper, integros tractatus conscripserunt; id quod
Vincent. Fusarius, Nicol. Intrigliolus, Rogerius, Chif-
fletius, Trentacinius & alii complures praestiterunt; non i-
gnorantes: quod haec materia, tanta sit subtilitatis, &
amplitudinis, ut compendiaria interpretatione exhauriri
nequeat, Wesembec. paratitl. ad ff h. nec non quotidiana
& lucrosa, in qua Baldus consulendo ultra 15000. Du-
catos lucratus fuisse, dicitur. Apud Intrigliol. in praef. n. 2.
conf. Stryk. de Caut. Test. Cap. 18. membr. 1. §. 1. quia vero aliis,
propter librorum penuriam, haud contingit, hosce, aliosque,
qui ex professo desuper scripserunt, Authores evolvere, aliis
magis placet, ea, quae alias in plurimis voluminibus hinc inde
sunt dispersa, ex compendiaria quadam delineatione cogno-
scere, quam in tantis Voluminibus & Commentariis, tanquam
in profundo maris, non sine maxima molestia quarere:
ideo non abs re, & incassum, nec benevolo Lectori in-
gratum fore, arbitror, quod (cum mihi, pro summis in
utroque jure honoribus jam jam legitime consequendis, cer-
tum juris Thema elaborandum & publice defendendum in-
cumbat) praeterea, de SUBSTITUTIONIBUS DIRECTIS

difficillimam materiam selegerim : Circa quam non quidem omnia ; qua occurrere possunt & solent , (hoc enim insitanti mei ratio non permittit , id quod Commentatoribus relinquo) praeclara multa tamen , ei subtiliora , quas apud interpretes maximopere in utramque partem disputari solent , quantum fieri potest , breuiter , succincte & perspicue propositurus , proque ingenii tenuitate examinaturus sum. Te autem O ! Benignissimum , quod in Coelises , Numen , supplex , & ea qua par est , animi deuotione precor , velis huic operae Autor , Moderator & Arbitrarius adesse , omniaque , pro insuita bonitate tua , ita dirigere , ut in Nominis tui , sempiternam gloriam , proximi salutem , meumque proprium vergant commodum.

SECTIO I.
De Substitutionibus in genere,
ET DE
Vulgari in specie.
SUMMARIUM.

Generalis vocis significatio, nisi probe perspecta, obscuritatem patitur §. I. Substitutionis Etymologia & Homonymia exhibetur, in §. II. definitur in lata significatione & synonymia subiecitur §. III. Dividitur in directam & fideicommissariam §. IV. Substitutio directa definitur ejusdemque species enumerantur §. V. Vulgaris describitur, estque vel expressa vel tacita, sub altera expressa, altera non expressa. Sub generali formula: si heres non erit, uterque casus: voluntatis & impotentiae, item sub altero expresso alter non expressus tacite continetur. §. VI. Modus substituendi aequae ac instituendi, est arbitrarius, & in dubio tantae partes censentur constitutae in substitutione, quantae in institutione. In fine subijciuntur limitationes. §. VII. Existente conditione admittitur substitutus. §. VIII. Substitutus Fiscum excludit. §. IX. Repudiante filio fam. hereditatem, non ipsius pater, sed substitutus admittitur. §. X. Si minor contra aditam hereditatem fuerit restitutus in integrum, substitutio locus fit. §. XI. De contrariis, & de triplici transmissariorum genere in §. XII. agitur.

§. I.

§. I.

Quoniam natura rerum conditum est, ut plura sint negotia; quam quidem vocabula, notante Ulpian: *in L. 4. ff. de præscript. verb.* & generalis vocis significatio, nisi probe perspecta, ut plurimum multum obscuritatis & confusionis post se relinquere soleat; ideo in antecessum, ne tumultuarie, & illotis quasi manibus, præsens thema pertractare videar, quam maxime necessarium duxi, Etymologiam, Homonymiam & synonymiam præmittere,

§. II. Vocabulum *Substitutionis* descendere à præpositione *sub* & verbo *statuere*; Germanisque idem esse ac *nachsehen* oder *an eines andern Stelle setzen* / nemo (uti opinor) ibi inficias, eoq; in sensu non solum *in JURE CIVILI* ceu *in §. 38. Inst. de R. D. L. 39. §. II. ff. de administr. & peric. tut. L. 16. ff. qui pot. in pign. L. 4. C. in quibus Cas. Tut. vel curat. hab. L. 50. de Leg. 2.* & *JURE CANON.* vid. *C. 3. & 6. x. de procurat. in 6. item cap. 4. x. de offic. vicar.* sed etiam *in JURE FEUDALI* 2. *Feud. 55. §. firmiter* occurrit.

§. III. At quid multis? *Substitutio* in famosiori & lata significatione, mihi hic nihil aliud est, quam *secundi vel ulterioris heredis, in locum deficientis, primi vel ulterioris gradus heredis, surrogata institutio* (Germ. *Nach* oder *Affset* Erb. *Einsatzung*) qua Lege XII. Tabb. permitta, (ut, sicuti quisque rei suæ legasset, ita Jus esset,) eumque in finem adinventæ, ne temere corruerent, & exitu carerent morientium ultimæ voluntates, ac suprema elogia: Nihil enim est, quod magis hominibus debeatur, quam ut suprema voluntatis (postquam jam aliud velle non possunt) liber sit stylus, & licitum quod iterum non redit arbitrium. Prout eleganter loquitur, imperator Constantinus *in L. 1. C. de SS. Eccles.* diciturque etiam, secunda heredis institutio vid. *L. 1. &*

L. 36. h. t. Struv. Exerc. 33. *Thef.* 10. item *Appendix institutionis* in L. 35. pr. ff. de acquir. vel omitt. Heredit.

§. IV. Estque vel obliqua seu fideicommissaria, quæ non est hujus loci, vel directa, quæ per Exellentiam regulariter præsumitur vid. Cap. 1. de testam. in 6. Mantic. de Conject. ultim. volunt. Lib. 5. Tit. 1. n. 3. 4. seqq. Menoch. Lib. 4. præsumpt. 66. n. 1. seqq. Mev. part. 4. Dec. 181. Nam vocabulum substitutionis simpliciter positum, regulariter & in dubio denotat directam, ut favorabiliorum Vincent. Fusar. qu. 4. n. 3. Idem q. 479. n. 2. Intrigl. Cent. 1. q. 8. n. 29. & fidei commissaria opponitur, cum ab hac differat (1.) ratione formæ: nam directa fit verbis directis, tantum in testamento princ. Instit. L. 1. ff. h. t. L. 2. C. de Codicill. fidei commissaria vero verbis obliquis, & precativis, etiam in Codicillis, §. 2. 7. de Codicill. (2.) ratione Effectus; enim vero, per substitutionem directam, Hereditas immediatè recta viâ, sine ulla deminutione, transit ad substitutum; per fidei commissariam non æque, hæc enim si facta fuerit; Hereditas, demum medianre herede, quartam detrahente Trebellianicam, ad substitutum heredem fideicommissarium transmittitur §. 7. Inst. de fidei Commiss. Heredit. Berger in Oeconom. Jur. Lib. 2. tit. 4. §. 18. not. 1. Excell. Dn. Böhrer in Introd. ad ff. h. t. §. 3.

§. V. Inter varias definitiones, quibus substitutionem directam definiunt DD. apud Intrigl. Cent. 1. q. 2. Longa serie relati, perplacet ea, quam habet Struv. Exercit. 33. *Thef.* 10. quod (scilicet,) fit in locum heredis instituti, certis in casibus deficientis, secunda vel ulteriori gradu surrogata directa institutio. Hujus quatuor sunt species, (1.) Vulgaris quæ fit in casum, si heres non erit. (2.) Pupillaris, quæ fit in casum, si heres quidem erit, in impuberi autem etate deceaserit. (3.) Exemplaris seu quasi pupillaris, quæ fit in casum, si

mente

mente capus vel alio simili animi aut corporis vitio laborans, ob quod testamentum facere impeditur vel prohibetur, in tali statu decesserit. (4.) Militaris seu privilegiata quæ fit à milite, in casum, quandocumque heres decesserit. Struv. Exerc. 33. Thef. II. conf. Colleg. Jurid. Argent. h. t. §. 3. & Excellent. Dn. Böhm. loc. cit. §. 4. Quælibet est vel expressa vel tacita: de quibus singulis suis in locis. Sunt quidem, qui pauciores, vulgarem sc. & pupillarem solum agnoscunt, vid. Intrigl. Cent. I. q. 7. n. 5. Bachov. ad Treutl. Vol. 2. Disp. 11. Thef. s. lit. D. Nec defunt qui plures species confingunt. Alii enim quinque, alii sex constituunt, prout videre est apud Fusar. qu. 2. n. 1. & 2. quorum sententiæ, cum ruinoso superstructa sit fundamento, subscribere non possum, conf. Stryk. de Caut. Testam. Cap. 18. Memb. 1. §. 24. ibidemque allegat.

§. VI. Progrediamur igitur ad primam substitutionis directæ speciem, quæ dicitur *vulgaris* (cur ita dicatur vide sis apud Fusar. q. 18. n. 3. & Intrigl. Cent. I. quæst. 10. Ea fit à qualibet persona; ad testamentum faciendum habili, cuicumque, in casum, *si heres non eris*, non enim interest, utrum, qui hoc modo substituit, sit pater, mater vel extraneus, vid. L. 33. ff. h. t. nec refert, utrum illi, quibus substitutio hac vulgaris fit, sint puberes vel impuberes, emancipati vel sui, hæc enim scrupulositas hic exulat. Estque vel *expressa* vel *tacita*; notandum enim est quod sub altera expressa, altera non expressa, sub generali formula: *si heres non erit*, uterque casus *voluntatis* & *impotentia*, imò sub alterutro horum expresso alter non expressus arg. L. 1. §. 2. ff. de procurat. (ob præsumptam & conjecturatam testatoris voluntatem, vid. L. 19. princ. ff. de condit. & demonstrat. qui sibi omni meliori modo de herede prospicere nec intestatus decedere voluisse præsumitur) ex benigna legum interpretatione

terpretatione, tacite contineatur *L. 4. princ. & §. 2. h. t. L. 3. C. de Instis. & substitis.* Struv. *dict. Exerc. Thes. 13.* ibique Müller. Consentunt DD. communiter apud Lauterbach. *in Coll. Theores. pract. h. t. §. 11. 12.* & hanc sententiam in praxi receptam esse testatur Stryk. *in tract. de Caut. Testam. C. 18. memb. 7. §. 9.* quia vero (maxime quoad ultimum assertum) magni nominis DD. dissentiunt, qui à Lauterbachio in suo *Compend. h. t.* adducti sunt; hinc tutius faciet testator, si ad præcendendas superfluas disputationes, casum utrumque *noluntatis & impotentie* claris verbis exprimat, quam cautelam suggerit Stryk. *c. l. §. 10.*

§. VII. Modus substituendi perinde ut instituendi, (vid. *§. 4. J. de Hered. Insti.*) est arbitrarius, potest enim quis in suo testamento, plures & tot, quot vult, heredum gradus facere, *princ. inst. h. t.* hinc regula: substitutus, substituto, est substitutus instituto *§. 3. inst. h. t.* qui sine distinctione utram secundus ante primum mortuus fuerit, vel contra, ad utramque partem admittitur *L. 27. & 41. princ. h. t. add. Schneidev. & Vinn. in Comment. ad §. 3. J. h. t.* substitui etiam possunt, *vel plures uni, vel unus pluribus, vel singuli singulis vel sibi invicem* propter hunc posteriorem modum substitutio dicitur *reciproca*, in *L. 4. §. 1. ff. h. t. mutua* in *L. 64. de Legat. 2.* & quia verborum compendio absolvitur, à DD. *breviloqua*. Quaritur autem, quantas (si testator heredes sibi invicem sine determinatione partium substituerit) habituri sint partes? Respond. ex *§. 3. Instit. & L. 24. ff. h. t.* eos tantas habituros esse partes ex substitutione, quantas ex institutione, quod rationem habet, nam substitutio est secunda institutio, & qualiter testator quem dilexit in institutione; taliter eundem dilexisse præsumitur in substitutione Cardin. *Mantic. de conject. ult. vol. lib. 5. tit. 1. n. 20.*
hujus

hujus rei exemplum ex *di. L. 24.* exhibet Stryk. *in di. s. tract. cap. 18. membr. 1. §. 22. limit.* nisi de contraria testatoris voluntate constet, *d. L. 24. in fin.* & ibi Gothofred. *in nos. Lis. C.* veluti, si testator substitutos inaequalibus oneribus gravavit vid. *L. 23. ff. ad Sctam Trebell.* vel nominibus propriis sibi invicem substituerit, sic enim ad personas potius quam ad portiones hereditarias respexisse videtur. *Mantic. c. L. 2. 21. Stryk. §. 22. in fin. add. Brunn. ad L. 5. ff. h. t.*

§. VIII. Quodsi itaque secundum praeducta (vid. sup. §. 6.) substitutus vocetur sub conditione: *si heres non erit*, &c. sciamus, oportet, quando nam conditio illa extitisse dici possit, & notandum est, quod dicatur extitisse (1.) si suus abstinerit, vel extraneus repudiaverit hereditatem, ille enim ipso jure per nudam existentiam *L. 11. de ff. de lib. & posthum. L. 14. ff. & L. 8. C. de suis & legit.* hic vero per additionem demum fit heres §. 5. *Inst. de hered. qualit. & differ.* hinc ille abstinere. *L. 87. & 89. ff. de acquir. vel omitt. Her.* hic vero repudiare dicitur *in L. 2. & L. 13. eod. tit. Rubr. C. de repud. vel abstinend. hered.* in casu autem ubi quis pluribus est substitutus, non ante admittitur, quam si omnes primo gradu instituti, heredes non fuerint. *L. 32. ff. h. t. L. 10. C. de impub. & al. sublit. C. I. A. h. t. thes. II.* nisi tamen substitutio alternativè facta fuerit, v. g. *Si Mevius vel Sempronius heres non erit, Cajus heres esto*, quo in casu repudiantis pars ad substitutum pertineret. Stryk. *d. loc. §. 17.*

§. IX. Occasione conclusionis supra §. 6. adductae, (quod scil. sub generali formula: *si heres non erit*, uterq; casus *voluntatis & impotentiae*, sub altero casu expresso, alter non expressus tacite comprehendatur) difficilis à Doctoribus proponi solet Quaestio: Quis nimirum in casu, quando institutus he-

B

res

res quidem vult, sed propter incapacitatem vel indignitatem heres esse non potest, Fiscus, an vero substitutus admittatur? & quamvis varii DD. varie sentiant, quidam mirum in modum distinguant, relati apud Fusar. *qu. 50. & 51.* & Intrigl. *Cent. 1. qu. 33.* Ego tamen in hoc DD. conflictu, substitutum Fisco præferendum esse sentio; propter *Authent. hoc amplius C. de fideicommiss. & L. un. §. 13. C. de caduc. toll.* quo & hoc facit, quod testator instituto hereditatem non adeunte, substitutum, non Fiscum vocaverit, provisio autem hominis, facit cessare provisionem legis *argum. l. fin. C. de pact. convent. Conf. L. 1. C. de SS. Eccles. & C. ultima voluntas 4. Caus. 13. q. 2.* consentiunt Petrus Gregorius alias Tholosanus *Synt. jur. part. 3. Lib. 42. n. 2.* Crassus in *§. substitutio q. 9. n. 8.* Trentacinq. *de Substit. p. 1. c. 8.* Fachin. *Lib. 4. controu. jur. cap. 64. allegat.* apud Stryk. *cap. 18. memb. 1. §. 14.*

§. X. Quæritur ulterius, an repudiantefilio fam, hereditatem, cui datus est substitutus, hunc pater excludat? & non obstante multorum DD. contraria opinione; apud Fusar. *qu. 42.* & Intrigl. *Cent. 1. qu. 30.* cum illis facio, qui substitutum patri (propter manifestam testatoris voluntatem) qui in casum: *si filius fam. heres non erit,* substitutum, non patrem vocavit,) præferendum esse, defendunt, quo pertinent *L. 120. ff. de V. S. C. ultima voluntas 4. caus. 13. q. 2. cap. 13. & c. 17. X. de test. & ult. vol. l. 1. C. de ff. Eccles.* accedit insuper, & facit pro substituto, etiam hoc, quod excludat venientem ex jure accrescendi, sc. coheredem, quia ille venit ex expressa; hic vero ex præsumpta testatoris voluntate, vid. *L. 1. §. in primo & §. pro secundo C. de caduc. toll. l. 30. ff. h. s. & L. 2. §. 8. ff. de Bon. possess. secund.* coheres autem

autem qui venit ex jure accrescendi, excludit patrem, *L. 2. C. ad Orst.* ibique Bald. Ergo sua sponte sequitur, quod substitutus, quum vincit vincentem patrem, ipsum quoque vincere possit patrem vid. *L. 14. §. 3. ff. de divers. & temp. præs. script. Limit.* nisi de contraria testatoris mente evidenter constet, utpote si filius fam. intuitu patris, ad quem testator potissimum respexit, heres institutus fuerit, tunc enim patrem substituto præferendum esse, non negarem, cum *Struv. Exerc. 33. thes. 14.* conf. *Tabor in not. ad coll. Jur. Argent. b. t. 11. Bach. ad Treutl. vol. 2. disput. 11. thes. 7. lit. F.*

§. XI. Sed quid si minor, cui substitutus datus, Hereditatem adierit quidem; postea autem se læsum esse videns, contra aditionem restituatur in integrum, an & tali in casu substitutus admittendus sit, nec ne, disquiritur? ubi Doctores rursus (ut fieri assolet) in diversas abeunt partes, alii enim pro substituto, alii contra eum pugnant, apud *Fusar. q. 39.* & *Intrigl. Cent. 1. qu. 20. n. 5.* Ego cum illis, qui à parte substituti stant, Doctoribus, facio, quorum opinio propter sequentes rationes magis arridet. (1.) Existente conditione, admititur substitutus, qui est vocatus, sub conditione, si heres non erit. (2.) Per restitutionem in integrum omnia reponuntur in pristinum statum juxta *L. 7. & L. 24. ff. de minor.* (3.) propter *L. 2. §. 13. b. 1. Nov. 1. c. 1 L. 61. de acquir. vel omitt. hered. L. 2. §. 10. ad Scetum Tertull. L. 44. de re judicat.*

§. XII. Superest nunc, ut de contrariis, & quomodo evanescat, dispiciamus. Evanescit autem (1.) Si suus sese hereditati immiscuerit, extranens eam adierit, vel ab his transmissa fuerit. An autem per qualemcunque transmissionem, substitutus excludi possit, videamus? quam questionem, si rite resolvere velimus, prænoscamus, oportet, quid,

quid, & quotuplex fit transmissio, definitur à Lauterbachio *in pecul. disp. de transmiss. hered. non acquif. thef. 4. quod fit singularis modus successionem deferendi, quo hereditas nondum acquisita, nec repudiata, ad heredis pramortui successores, ex Legum præscripto devolvitur.* Estque triplex? alia enim fit jure *Suitatis*, quo mediante hereditas ad quoscunque heredes, etiam extraneos transmittitur. *arg. L. unic. §. 5. & 13. C. de caduc. toll. junct. L. 84. ff. de acquir. vel omitt. hered. L. 14. ff. & L. 8. C. de suis & legitim. Alia fit ex constitutione Theodosii, vi cujus ex jure Sanguinis, hereditas, ad descendentes solum, transmittitur, vid. L. un. C. de his qui ante apert. Tabb.* Alia denique est, quæ fit ex *Jure deliberandi*, ubi heres institutus qualiscunque, sive suus sive extraneus sit, intra deliberandi spatium mortuus, hereditatem, quam novit sibi esse delatam (Dissent. Rauchbar. p. 2. q. 5. n. 23. Lynk. Decis. 1414.) ad quoscunque heredes transmittit, vid. L. 19. C. de jur. delib. Redeamus nunc ad questionem supra in principio hujus §. propositam, ad quam non uno eodemque modo respondent Doctores. Quidam enim inter quos etiam est Intrigl. Cent. 1. q. 27. n. 14. 15. ex erroneo illo fundamento (ac si per substitutionem vulgarem, tollatur jus Suitatis) defendere allaborant, per transmissionem jure Suitatis factam, substitutum non excludi, alii vero, apud Struv. §. 17. adducti, probare voluerunt, substitutum per transmissionem, quæ fit ex jure deliberandi, excludi non posse: in hoc opinionum conflictu, cum communi Doctorum schola sentio, quod substitutus, per quamcunque transmissionem, sive deinde jure *Suitatis*, *Sanguinis* vel *deliberandi* fiat, à successione excludatur; quamdiu enim primus gradus non est evacuatus, substituto, qui sub conditione: *si heres non erit*, demum est vocatus, locus esse nequit; penden-

te

te autem transmissionis jure, prior gradus nondum potest dici evacuatus; Ergo prona fuit consequentia, quod substituto locus esse nequeat. *dict. L. unic. C. de caduc. toll. junct. L. 84. ff. de acquir. vel omitt. hered. L. 14. ff. & L. 8. C. de suis & legitim. L. unic. C. si quis ante apertas Tab. & L. 19. C. de jur. deliber.* Carpzov. *pari. 3. Concl. 14. def. 23. C. I. A. h. t. thes. 11. add. Struv. thes. 17.* qui plures alios ibidem allegat & hanc quaestionem late examinat conf. insuper *dict. Disput. Lauterbachii thes. 8. & seqq.* Evanescit (2.) si quis pluribus conjunctim & copulative institutis, substitutus fuerit, & unus eorum hereditatem adierit *Intrigl. Cent. 1. q. 46. n. 6. 7. & seqq. (3.)* Si substitutus moriatur ante institutum vid. *L. 9. in fin. de suis & legitim. heredibus. & L. 81. de acquirend. vel omitt. heredit.*

SECTIO II.

DE

Substitutione pupillari.

SUMMARIUM.

Pupillaris substitutio fit tantum a parentibus. Liberis impuberibus in patria potestate existentibus, & in alterius potestatem non recessuris §. I. dividitur in expressam & tacitam, hæc sub vulgari expressa tacite comprehenditur. §. II. Differt a vulgari multis modis §. III. ut hæc substitutio valeat requiritur (1.) patria potestas, quam, quia mater non habet, pupillarem substitutionem facere nequit §. IV. requiritur (2.) ut liberi sint impuberes, ultra pubertatem facta, ne quidem in vim fidei commissi valet, quod Limit. in fin. §. V. requiritur (3.) ut pater sibi prius testamentum faciat; nam testamentum impuberis, est pars & sequela testamenti paterni §. VI. requiritur (4.) ut liberi vel heredes instituantur, vel legitime exheredentur. §. VII. Requiritur denique (5.) ut hereditas paterna adeatur, nam irrito facto testamento paterno, pupillares quoque tabulae concidunt, §. VIII. Existente conditione, admitti-

B 3

tur

eur substitutus §. IX. Excludit omnes legitimos, etiam matrem §. X. Contraria exhibentur in §. fin., XI.

§. I.

Altera substitutionis directæ species (de qua in hac sectione) dicitur *pupillaris*: minus accuratè quidem, si inspicatur tempus ordinationis L. 239. princ. ff. de V. S. vid. tamen L. fin. §. 2. ff. de verb. Oblig. & L. 4. C. de necessar. serv. hered. attamen rectè, si habeatur ratio temporis, in quod confertur, & quo exferit vires: hinc rectius in sensu priori vocatur substitutio impuberum, rubric. C. de impub. & al. substit. vel filii impuberis testamentum L. 10. §. 4. & L. 20. ff. h. t. In sensu posteriori autem testamentum pupillare L. 2. princ. §. 1. & 2. L. 43. princ. & L. 44. ff. h. t. conf. Intrigl. Cens. 1. qu. 58. fitque à parentibus, liberis impuberibus, in potestate existentibus, nec in alterius potestatem recasuris in casum: si heredes ex testamento erunt, & in impuberi ætate moriantur. princ. J. h. t. Quæ moribus (Romanorum scilicet arg. §. 2. ver). Sed quoriam de J. N. G. & C. junct. §. 2. J. de parr. potest.) introducta, ut, quum ejus ætatis, sint liberi, in qua sibi ipsi testamentum facere non possunt, parentes eis faciant princ. J. h. t. utile enim est, ut heredem ex testamento habeant, ne alias (si impuberes decefferint), bona, ad indignum fortè, contra eorum voluntatem perveniant Coll. Jur. Argent. h. t. th. 19.

§. II. Dividitur (sicut vulgaris) in expressam & tacitam. Illa fit sub expressa conditione: si heredes erunt, & prius, quam in suam tutelam venerint, moriantur, dict. princ. J. h. t. hæc vero ex præsumta testatoris voluntate, & benigna Juris interpretatione; sub expressa vulgari: si heredes non erunt tacitè continetur L. 4. ff. h. t. L. 4. C. de impub. & al. substit. Intrigl.

Intrigl. Cent. 1. qu. 22. *Consent. DD. communiter. limit.* nisi de alia testatoris voluntate (quod nimirum vulgariter tantum substituere voluerit) ex circumstantiis vel aliunde constet; nam praesumptio cedit veritati vid. *L. 137. §. 2. ff. de verb. oblig.* & in concursu praesumptionum, fortior, semper vincit debiliorem vid. *L. 39. §. 1. ff. h. t. L. 2. & 4. C. de impub. & al. subst. Cardin. Mantic. Lib. 5. tit. 14. n. 17. & 20. Coll. Jur. Argent. h. t. th. 13. Carpz. part. 3. const. 3. def. 1. Struv. thes. 22.*

§. III. Differtque à vulgari (1.) ratione *Causae efficientis*, enim vero, *vulgaris substitutio* fieri potest à quacunque persona, ad testamentum faciendum habili, tam à matre quam à patre, *pupillaris* non item (2.) ratione *formae*, qui *vulgariter*, sibi solum, qui vero *pupillariter* substituit, non sibi solum, sed etiam filio impuberi testamentum condere tenetur *L. 2. §. 1. & L. 4. ff. h. t.* (3.) ratione *subjecti*, *Cui, vulgaris* fieri potest cuicumque puberi & impuberi, emancipato & suo, *pupillaris* non aequè (4.) ratione *Effectus*, illa non est adstricta ad certos annos, nec pueritate expirat, bene tamen *haec*: per *illam* duplicem, existente conditione, consequitur hereditatem substitutus, non etiam per *hanc*. *Illa* evanescit, si primo gradu institutus, heres fuerit, *haec* non aequè, de quibus fufius.

§. IV. Quoniam ex traditis hactenus, de Requisitis ad validitatem hujus substitutionis facientibus, in genere duntaxat, constat, de singulis nunc ordine, & paulo specialius videamus. Requiritur autem (1.) patria potestas, quae (sicuti à Jure naturali haud aliena, probè notante Magnif. Dn. Webero, fautore, patrono meo, omni honoris cultu devenerando ad Sam. Puff. libell. de offic. hom. & civ. l. 2. c. 3. §. 1. cum seqq. & in append. Them. 8. (ita propter ingentissimum amorem, stabile

bile rectumque consilium) quod pater potissimum erga liberos habere praesumitur, vid. *L. fin. C. de Cur. r. furios junct. L. 22. §. fin. ff. ad L. Jul. de Aduls.*) ex aequitatis ratione, per interpretationem prudentum) uti probabiliter existimat Hilliger ad Donnell. *lib. 6. Cap. 25. Lit. C.*) etiam in tantum est extensa, ut ei liceat liberis suis impuberibus, vi huius potestatis, hoc modo substituere, & de herede successore prospicere *dict. princ. J. h. r.* unde mater, qua liberos non habet in potestate §. 10. *J. de Adopt. junct. L. 14. ff. de suis & legitim.* & de qua Jura nostra (propter sexus imbecillitatem *1. Petr. III. v. 7. conf. L. 2. ff. ad Scem Veliejan. L. 1. §. & cum C. de R. U. A.* & animi mutabilitatem *vid. L. 22. C. de administ. & peric. tut.* (utrum vero Wilhelmus Schickardus quem prae laud. Magnif. Dn. Weber *in discurs. suo Academ. de Leg. Div. posit. univers. p. 43. in terminis allegat, mulierem varium & mutabile semper animal.* rectè appellet, non examino) talem non, qualem de patre habent confidentiam Enek. *de privil. parent. & liber. cap. 5. num. 10.* (liberis pupillariter substituere nequit *Intrigl. Cent. 1. qu. 65. Berlich. Dec. III. num. 3. & 4.* Et quamvis Jure-Consultis quibusdam, veluti Vinn. & Groenvegen ad §. 2. *7. de patr. potest.* patria potestas hodie, abrogata videatur & Voetius *ad tit. ff. de his qui sui vel alien. Jur. §. 3.* existimet, quod mater hodie aequè ac pater liberis pupillariter substituere possit; attamen illa sententia, utpote, praxi Imper. nostri Rom. Germ. aperte contraria, assensum non meretur: non enim (uti benè monet, Excell. Dn. Mollenbecius, fautor & patronus meus, maximopere colendus, in *Disp. ad tit. IX. J. de patr. potest. pag. 23.*) *ab uno alterove patriae potestatis actu abrogato, ad ipsam patriam potestatem abrogatam, valet consequentia,* unde praecit. DD. opinio

311

opinio vel ad provincias Hollandia, & particularia quorundam locorum Jura vid. *Würtenb Land R. p. 3. tit. 12. §. und wiewohl & Reform. Francof. p. 4. tit. 4. §. 4. & 5. restringenda, vel rejicienda erit; Verum enim vero, matrem ne hodie quidem, liberis pupillariter substituere posse, testantur DD. communiter apud Intrigl. loc. cit. Stryk. membr. 2. §. 6. id quod etiam, præjudicio confirmat Carpz. part. 3. Const. 8. Def. 16. ibi: Wann nun gleich laut der abgehörten Zeugen Aussage / der Testirerin Meynung gewesen / ersichtlich ihre Tochter zur Erbin einzusetzen / und nach des ro Absterben allererst / ihren Geschwistern das Zbrige zuzuwenden; die weil aber dennoch die Mutter ihren Kindern / zurecht / pupillariter nicht substituiren mag etc. so haben sich auch ihre Geschwister / nach des Kindes Absterben / solcher Verordnung nicht zu erfreuen / sondern es hat bemeldtes Kind / die anererbte Verlassenschaft auff seine nächste Erben ab intestato verbracht / und verfället D. R. W. plura præjudicia exhibet Richter part. 1. Dec. 44. num. 6. & 7. Interim tamen, si mater de facto liberis pupillariter substituerit & testamento clausulam Codicillarem apposuerit, ex aqua, & benigna Juris interpretatione, valet substitutio, non quidem ut directa, sed ut fidei commissaria Mantic. lib. 1. tit. 9. num. 5. Carpz. def. 17. Richt. cit. loc. num. 8. Dn. à Lynker Dec. 650. quæ autem ultra bona materna sese non extendit Excell. Dn. Böhmer h. t. §. 12.*

§. V. Requiritur (2.) ut liberi ejus sint atatis, in qua sibi ipsis testamentum facere non possunt (id est) sint im-
puberes, sive deinde sint primi, vel ulteriorum graduum
princ. J. h. t. legitimè nati, vel legitimati arg. §. 13. J. de nupt.
naturales, vel arrogati. arg. §. 2. J. de Adopt. nati, vel nascendi
vid. L. 7. de Stat. hom. instituti, vel legitimè exheredati §. 4. J. &

C

L. 1.

L. 1. § 2. ff. h. t. junct. L. fin. ff. unde legit. L. 20. princ. ff. de bon poss. contr. abb nil refert; si de cetero sub patria potestate existant *d. et. p. §. h. t.* Non autem puberibus, hæc substitutio fieri potest, *dict. princ. §. & L. 2. ff. h. t.* nec ultra pubertatem facta, valet; sed adveniente pubertate expirat *§. 8. §. & L. 7. ff. h. t.* ne scilicet liberis, testamenti factio (quæ pariter est favorabilis *L. 1. C. de SS. Eccles.*) contra *L. 43. princ. ff. h. t.* aimitur. Sunt enim liberi, postquam puberes facti, ejus ætatis, in qua testamentum facere, & sibi ipsis de herede prospicere possunt arg. *§. 1. J. quibus non est perm. fac. testam.* Quæ itur autem, annon saltem ultra pubertatem facta, valeat in vim fideicommissi? *Resp. Neg. propter dict. L. 7. ff. h. t. Excip.* nisi clausula Codicillaris testamento fuerit adjecta *§. fin. §. & L. 76. ad Scrum Trebell.* Carpz. *def. 19.* vel verba ad fideicommissum inducendum, sint apta *dd. text. Richter p. 1. Dec. 46. Hahn, ad Wesemb. h. t. n. 6. Stryk. Membr. 2. §. 24.*

§. VI. Requiritur (3.) ut pater sibi prius, & deinde etiam filio impuberi testamentum faciat *L. 2. §. 1. & 4. ff. h. t.* nam testamentum filii impuberis dicitur pars & sequela testamenti paterni in *§. 5. §. h. t.* quod tamen non de scripturæ (quasi vero Institutio prius scribi debeat, quam substitutio) sed de successionis ordine, & de tali casu intelligendum est, ubi pater in diversis fortè tabulis, sibi & filio singulariter, ex intervallo, testamentum faciat; aliud enim est, si alio tempore institutio, alio vero tempore substitutio fiat, de quo casu loquuntur *L. 2. §. 4. & L. 16. §. 1. ff. h. t.* Ceterum, si actu continuo fiat, praposteratio non nocet *L. 14. de pecul. legat. & L. 28. de her. instit.* Enimvero unicam est testamentum, tam ratione *causæ efficiens* *dd. text.* quam ratione *formæ* *L. 20. ff. h. t.* quamvis ratione *materiæ* duo quo-

quodammodo sint testamenta, alterum scilicet patris, alterum filii impuberis §. 2. *J. h. t.* vel, uti in *fin. diſt.* §. 2. dicitur, unum testamentum duarum causarum, hoc est, duarum hereditatum.

§. VII. Requiritur (4.) ut pater filium impuberem, cui hoc modo substituere vult, vel heredem instituat, vel eundem legitime exheredem faciat, quodsi horum alterum non fecerit, testamentum vel ipso jure nullum *princ. J. de exheredat. liber. & L. 30. ff. de liber. & posthum.* vel per querelam in officiosi testamenti in totum rescindendum erit *L. 8. §. 16. ff. h. t.* & sic corruente principali & toto (testamento sc. paterno) corruant quoque necessum est, tabulæ pupillares, tanquam pars & sequela testamenti paterni *dd. text. junct. §. 5. & L. 2. princ. ff. h. t.* id, quod de *Jure Nov.* in tantum reperitur mutatum, ut testamentum per querelam Nullitatis, & inofficiosi testamenti non (uti fiebat olim) in totum, sed quoad heredis institutionem duntaxat, rescindatur; cetera vero Capitula maneant valida *Nov. 115. cap. 3. & 4. in fin. junct. Aurbent. Ex causa C. de liber. præter. & L. 5. C. de LL. Consent. DD.* communiter apud *Intrigl. Cent. 1. quest. 80. Hunn. in tract. var. Resol. lib. 2. tract. 5. qu. 12. & 13. Struv. Exerc. 10. th. 22. Exerc. 32. thes. 32.*

§. VIII. Nec hæc omnia sufficiunt, nisi etiam heres à patre scriptus (quod denique (5.) requiritur) hereditatem adierit; idem enim erit: utrum quis heredem plane non instituerit, utrum institutus heres, hereditatem non adierit, cum utroque casu intestatus decessisse videatur testator *princ. J. de heredit. que ab intest. defer.* adeo, ut non adita hereditate, sed irrito facto testamento principali paterno, pupillare testamentum quoque concidat *diſt. L. 2. princ. ff. h. t. junct. L. 11. §. 1. ad Scrum Trebell. & L. 181. de R. 7. ibique*

DD. id, quod autem ad eum casum restringendum est, quando filius impubes à patre legitime exheredatus; & eius loco extraneus heres institutus fuit, in suo herede enim aditio necessaria non est, quia nuda ejus existentia tabulæ pupillares confirmantur *L. 12. in fin. h. t. L. 41. & 42. de acquir. vel omitt. hered. L. 28. de Reb. Auth. jud. possid. Donnell. lib. 6. c. 25. Lit. X. Hunn. lib. 2. tract. 6. quæst. 16. C. J. A. h. t. thes. 21.*

§. IX. Concurrentibus hisce requisitis, valide facta hæc substitutio dici potest, ita, ut existente conditione (*si nimirum filius heres quidem fuerit, hereditarique sese immiscuerit sed impubes decesserit;*) substitutus utrique, patri & impuberi succedat, etiam in bonis aliunde post testamentum huic obvenientibus (quamvis substitutio tantum in re certa facta, dummodo coheres datus non fuerit *L. 41. §. fin. ff. h. t. add. L. 7. de R. J. Carpz. part. 3. C. 8. def. 12. Stryk. §. 19.*) nec patris hereditatem ab impuberis separare possit, sed vel utramque adire, vel utramque repudiare *L. 10. §. 2. h. t. Fuffar. qu. 155. n. 1. 2. 3. & 4. Intrigl. Cent. 1. q. 89. n. 21.* & utriusque, patris & impuberis Creditoribus satisfacere teneatur *L. 38. ff. de Reb. Auth. Judic. possid.* Non tamen ea, quæ pupillus ex hereditate paterna, legitime, accedente scilicet Autoritate tutoris, & decreto judicis, alienavit, substitutus revocare potest. *Struv. thes. 27.* Quodsi vero impubes absentionis beneficio usus fuerit, tunc substitutus vi *racitæ vulgaris* quidem hereditatem paternam, vi *pupillaris expressæ* autem (quæ per nudam sui heredis existentiam confirmatur. *d. L. 12. h. t. L. 41. 42. de acquir. vel omitt. hered. L. 28. de reb. Auth. jud. possid. L. 44. de Re judic.*) hereditatem impuberis adire potest: quo in casu tamen, hereditatem patris ab hereditate impuberis separare, non prohibetur:

tur: *dd. text.* Bachov. ad Treutl. *Vol. 2. Disput. II. thes. 9. Lit. A.* Nihil enim (prout erudite & subtiliter loquitur Struv. *Thes. 28.*) repugnat, substitutum, in diversis substitutionibus, diversis quoque frui juribus, quod vulgarem attingit, filii abstentioni inniti, quod vero pupillarem, ut hæc sustineatur, nuda Existencia sui heredis. Aliud est, si impubes non exstiterit heres, sed ante patrem forte, mutato mortalitatis ordine, decesserit, tum enim substitutus, vi *tacite vulgaris*, ad paternam hereditatem quidem, ad bonam impuberis vero non aliter admittetur, nisi in quantum ea per successionem ab intestato in patrem fuerunt devoluta Struv. *cit. loc. B.* Dn. Ludovici in *doctr. pand. h. t. §. 10.*

§. X. Succedit itaque substitutus existente (sub qua vocatus est) conditione, cum omnimoda heredum Legitimorum exclusione; nam provisio hominis, facit cessare provisionem Legis arg. *L. fin. C. de pact. Convent.* & quamdiu successio fieri potest ex testamento, tam diu legitima ab intestato non est locus *L. 7. C. de impub. & al. substit. L. 8. C. commun. de success. L. 39. & 70. ff. de acquir. vel omit. hered. L. 89. de R. J.* adeo ut ne mater quidem querelam movere possit *L. 8. §. 5. ff. de inoffic. testam. L. 8. C. de impub. & al. substit. cap. 1. de Testam. in 6.* quia impubes ipse non, sed pater pro eo (qui uxorem impune praterire potest,) testamentum condidit *dd. text. Intrig. Cent. 1. n. 90. & 91. Carpzov. part. 3. cap. 8. def. 1. Hartm. Pistor. obs. 30. Richter part. 1. dec. 45. Fachin. lib. 4. Contr. Jur. c. 42. add. Stryk. §. 17.* qui ibidem probe observat, quod hæc exclusio matris à legitima, per substitutionem expressam facta, non sit extendenda ad portionem statutariam, quia hæc non ex filii impuberis, sed mariti bonis, uxori debetur, quam maritus nulla unquam substitutione evertere, aut minuire potest.

test; An autem per pupillarem *tacitam* æque, ac per *expressam*, mater penitus excludi possit, de eo valde controversitur? Et quamvis negativa DD. communiter placeat, apud Intrigl. *Cent. 1. q. 94.* Zoef. *ad. ff. h. t. n. 50.* Harppr. *ad Inst. h. n. 56.* & seqq. Brunn. *ad L. fin. C. de Instit. & Substit. eaq;* sententia in praxi fit recepta test. Richt. *part. 1. dec. 45.* Struv. *th. 29.* & Stryk. *J. 17.* non tamen desunt, qui ab hac communi dissentiunt, & affirmativam, tanquam in puncto juris veriore, amplectuntur, veluti Bachov. *ad Treutl. Vol. 2. Disp. 11. Thes. 9. Lit. B. & C.* Tabor. *in nos. ad Coll. jur. Argent. h. t. thes. 20.* Struv. *c. l. cum multis aliis apud Intrigl. l. c. alleg. quam ego propter dict. L. 8. §. 5. ff. de inoffic. Test. & Cap. 1. de Testam: in 6. junct. L. 32. ff. de LL. L. 8. ff. de public. in rem act. & L. fin. C. de pact. Convent. etiam meam facio, & ad minimum theoreticè defendo.*

§. XI. Exspirat autem (1.) *pubertate* §. 8. *Inst. & L. 7. ff. h. t.* quando masculus 14. femina verò annos 12. excessit civiliter, ita, ut dies coeptus habeatur pro completo; tunc enim sunt ejus ætatis, in qua sibi ipsis Testamentum facere possunt, arg. §. 1. *Inst. quibus non est permis. fac. testam. L. 5. ff. Eod.* Ludvvell *in Comment. ad §. 8. Inst. h. t.* idem Jus esto in *pupillari tacita* Struv. *thes. 30.* ibique Müller (2.) *tempore elapso*, si ad brevius tempus v. gr. usque ad decimum, vel undecimum annum forte facta fuerit *L. 21. ff. h. t. (3.) cessante patria potestate* *L. 41. §. 2.* necessum autem est, ut impubes utroque tempore, facti testamenti & mortis, sit in patria potestate *pr. 7. & d. L. 41. §. 2. ff. h. t.* Hunn. *dict. lib. 2. Tract. 6. quæst. 11.* (4.) *si testamentum paternum ruptum, in totum infirmatum, vel irritum factum fuerit* §. 5. *J. & L. 2. pr. & §. 1. ff. L. 16. §. 20. ff. h. t.* (5.) *si ante patrem*

patrem impubes accideris vid. supra §. 9. & denique (6.)
 si substitutus ante impuberem mortuus fueris Struv. thes. 31.
 ibique Müller.

SECTIO III.

DE

Substitutione Exemplari seu quasi pupillari.

SUMMARIUM.

Describitur & synonymia traditur in §. I. variè differt à substitutione vulgari & pupillari : estque vel expressa vel tacita §. II. hanc substitutionem facere possunt parentes cujuscunque sint gradus, vel sexus; etiam mater, quæ ad secunda vota transit §. III. patri non est concedenda prærogativa intuitu bonorum liberis aliunde obvenientium, sed in his utriusque substitutio patris & matris valet æqualiter §. IV. subjectum Cui constituitur liberi mente capti, furiosi, summè Melancholici, prodigi, primi & ulteriorum graduum, puberes & impuberes, emancipati & sui, legitime nati; non etiam naturales & spurii ex damnato coitu nati vero prorsus excluduntur §. V. modus & ordo substituendi exhibetur, & tam veterum quàm recentiorum JCtorum opinio quodammodo improbat §. VI. quandiu mente captus, fratres bilaterales, horumve prædefunctorum liberos habet, tandiu fratres unilaterales & prædefunctorum liberi substituendi non sunt; nec DD. distinctio erit admittenda §. VII. non sufficit, unum vel certos ex liberis vel fratribus esse substitutos, sed omnes regulariter substituendos esse, verius videtur §. VIII. de objecto & effectu in §. IX. de contrariis autem in §. fin. X. agitur.

§. I.

Inter substitutiones directas etiam recte refertur *Exemplaris* seu, *quasi pupillaris*, qua parentes cujuscunque sint gradus vel sexus, liberis suis, cujuscunque gradus, sexus vel ætatis mente captis, aliove simili, animi vel corpori vitio, (ob quod testamentum facere impediuntur vel prohibentur) laborantibus instituitis, vel legitime exhereditatis, in
 ca, um:

casum: si in tali conditione moriantur, testamentum facere, eisque certas personas substituere possunt. §. 1. *Inst. de pupillari substitutione L. 9. C. de impuberum & aliis substitutionibus.* Hanc *DD.* exemplarem vocant ideo, quoniam ad exemplum substitutionis pupillaris est introducta *dist. §. 1. de pupill. substit. & L. 9. C. de impub. & al. substit.* *Intrigl. Cent. 2. q. 93. quasi pupillarem* vero, ob affinitatem & similitudinem, quam habet cum *pupillari vera*, siquidem in multis cum hac convenit, enimvero pater exemplariter substituens, etiam sibi testamentum facere *Intrigl. d. Cent. 2. qu. 7.* liberos vel hæredes instituere, vel legitime exhæredare tenetur, idem *qu. 8.* sicuti in *pupillari vera*, sic pariter in hac *quasi pupillari*, hæreditatis aditio requiritur, Idem *qu. 10.* in genere: ubi inter *hanc & illam* non reperitur differentia, standum est similitudini. *Card. Mantic. lib. 5. tit. 16. n. 1. Intrigl. qu. 97. n. 3. add. §. fin. Inst. de milis. Testam. §. 10. Inst. de Actio. & L. fin. C. de inoffic. Testam.* alii sunt, qui hanc appellant *Justinianeam*, ab autore Imperat. Justiniano qui hunc substituendi modum (ante ejus tempora, Veteri Roman. Jur. non nisi ex speciali principis indulgentia, & gratia competentem vid. *L. 43. ff. de vulg. & pupill. substit.*) *humanitate, æquitate, nec non benignitate* motus, parentibus in genere concessit, & sic quoddam jus commune fecit, ut eis in posterum liceat, absque speciali, ad id, impetrata permissione, liberis suis mente captis &c. certas personas substituere, quem in finem promulgavit constitutionem, quæ extat in *dist. L. 9. C. de impuber. & aliis substitus.* alii hanc substitutionem *mente capti, mente captam, furiosam*, alii denique *utilem* appellant, alleg. apud Stryk. *membr. 3. §. 1. de variis hujus substitutionis formulis* legi poterit *Intrigl. Cent. 2. qu. 1. 12.*

§. II.

§. II. Differt autem à *vulgari* & *pupillari*, (1.) ratione *cau-
se efficientis* (2.) ratione *formæ* (3.) ratione *subjecti*: (4.) ra-
tione *effectus*. Estque alia *expressa*, quæ fit claris & ex-
pressis verbis, v. g. *si filius meus mente captus &c. in tali statu
morietur*, alia *tacita* quæ sub *vulgari*, *pupillari* & *exem-
plari* seu *quasi pupillari expressa* (iisdem ex præsumpta testa-
toris voluntate, qui successionem ex testamento omni
meliori modo promovere, successionem legitimam ab intesta-
to vero, avertere voluisse præsumitur) tacite continetur *arg.*
*L. 4. ff. de vulg. & pupill. substit. L. 4. C. de impub. & al.
substit.* cujus voluntas quamvis colligatur ex conjecturis, tol-
lit omnia obstacula; prout Stryk in saepe *alleg. Cap. membr.*
1. §. 6. eleganter loquitur cum Raph. Fulgof. *Conf. 15. num. 2.*
& Paul. de Castro *Conf. 123.* non enim in ultimis voluntati-
bus, tam ad verba, quam ad mentem testatoris, eoque po-
tissimum respiciendum est, quid verosimiliter, si de hoc vel il-
lo casu interrogatus fuisset, disposuisset testator *L. 25. §. 1.*
ff. de liber. & posthum. ne alias, dum nimia ver-
borum subtilitati inhaeremus, vera defunctorum judicia
subvertantur contra *C. ultima voluntas 4. Caus. 13. qu.*
*2. Cap. 3. & Cap. 17. X. de testam. & ultim. volunt. L. 15. C. de
testam. & L. 7. in fin. C. de insti. & substit.* quid? quod inter
pretatio quæ ultimis voluntatibus favet, potius, quam quæ
eas destruit, sit admittenda *L. 10. ff. de inoffic. testam. Conf. B.*
Dn. Grollm. Cancell. quondam in hac Academ. Graviss.
in Dissert. de Epist. hom. ultim. Cap. 1. §. II.

§. III. Hanc substitutionem itaque, facere possunt *paren-
tes*, cujuscunque sint sexus vel gradus (siquidem in hac pa-
tria potestatis ratio non, sed humanitas, affectio & pietas pa-
rentum erga liberos attenditur) etiam mater quæ ad secun-

D da

da transit vota d. L. 9. junct. L. 8. ff. de public. in rem action. Tabor. de substit. Cap. 4. §. 6. Brunn. ad di. L. 9. Nec obstat L. 22. C. de administr. & peric. tutor. quam dissentientes (vid. Intrigl. Cent. 3. 4. 2.) & ex ea potissimum hæc urgent verba: *Lex non solum contra tutores, sed etiam contra feminas immoderatas, atque inemperantes prospexit minoribus, quæ plerumque novis maritis, non solum res filiorum, sed etiam vitam addicunt* &c. etenim ex his firmum argumentum contra nostram sententiam erui nequit, cum d. L. ratio huc non quadret, enim vero hoc modo liberis substituere potest, sed hæc substitutionem (prout statim audiemus) quodammodo secundum ordinem successions ab intestato regulare tenetur d. L. 9. ut proinde periculum non sit, ne mater, coeco forte an amoris æstu percita, secundo marito hoc in casu pro lubitu faveat, eidemque, mediante substitutione, res bonaque liberorum contra d. L. 22. addicat. huc faciunt 142. de R. J. & Cap. 15. de R. J. in 6 junct. d. L. 8. ff. de publ. in rem act. Consens. Trentac. de substit. part. 3. Cap. 3. Vasq. de success. progr. ff. Lib. 2. §. 17 num. 24. Salicet ad d. L. 9. Stryk. membr. 3. §. 8. Lauterb. in Coll. Theor. pract. h. 1. §. 38. eamque in rem præjudicium adducit Carpz. part. 3. Const. 8. def. 13. ibi. Hat euer voriges Eheweib ein Testament gemachet / und darinnen ihrem einigen Sohn den dritten Theil ihrer Verlassenschafft beschieden / und auch ihn substituirt ꝛc Dabe ihr nun beweisen köntet / daß mehrgedachter euer Stieff Sohn noch bey der Mutter Leben und hernacher mit Blödigkeit behaftet gewesen / derowegen er vom M. nisterio niemahls zum Heil Abendmahls gelassen werden wollen / und daß er auch in solcher seiner Blödigkeit verstorben ꝛc. So wäre Krafft angeregter Verordnung / vorerwehnter / eurem Stieff

Stieff/ Sohn/ zständiger dritter Theil auff euch gekom-
men/ und gefallen/ und seine Freunde hätten daran keine
Forderung B. R. W.

§. IV. Quod si itaque in hac substitutione, patria po-
testatis ratio non, sed humanitas, affectio & pietas (quam u-
triusque sexus parentes erga liberos habere solent, *arg. L. 4. C. de liber. præter.*) attenditur, facile apparet, quod patri,
intuitu suæ potestatis, quam habet in liberos, non sit conce-
denda prerogativa (ut sc. in bonis aliunde liberis obvenienti-
bus, vi patriæ potestatis, præ matre substituere possit,) quic-
quid in contrarium velint In trigl. *Cent. 2. 4. 33. Donell. L. 6. C. 17. Struv. Thef. 35. Stryk. §. 9. aliique complures, ibidem alleg.* sed
quod utriusque patris & matris substitutio hoc in casu valeat,
& hereditas inter substitutos æqualiter dividi debeat; posito
enim æquali jure, æqualis etiam est facienda partitio, Gomez
Tom. I. var. resolut. Cap. 6. n. 13. Bardili. Exercit. for. 4. §. 8. Nec obstat, quod duo vincula fortius ligent, quam unum
arg. §. 2. Inst. de Adopt. in patre autem concurrere, duo
vincula: præter humanitatem, affectionem & pietatem, in-
super patriam potestatem *Respond.* hoc esse verum quan-
do utrumque vinculum est pertinens, secus autem quando
alterutrum est impertinens, prout patria potestas, quæ in
hac substitutione non attenditur *dist. L. 9. simile quid oc-
currit in Jur. Feud. ubi frater Germanus non magis in feudo
succedit, quam consanguineus, ne hunc propter duplici-
tatem vinculi (quia alterum pariter est impertinens) excludit
Stryk. Exam. jur. feud. Cap. 16. q. 11. Caterum in paternis
bonis, substitutus à patre, in maternis verò, substitutus
à matre datus, in concursu alter alteri præfertur.*

§. V. *Subiectum Cui* autem sunt (prout in precedentibus notavimus) *liberi*, mente capti aliove simili animi vel corporis vitio, ob quod testamentum facere impediuntur, vel prohibentur, laborantes: Veluti, Furiosi Intrig^l, Cent. 2. qu. 18. prodigi, idem. 9. 19. summe melancholici, qui scilicet atra bilis morbo ita vexantur, ut sensu communi destituantur idem qu. 27. surdi & muti natura L. 43. ff. de vulg. & pupill. substit. idem qu. 16. & 17. Bachov. ad Treutl. vol. 2. Disput. 11. Lit. C. nihil autem refert primi, an ulteriorum graduum, puberes, an impuberes, emancipati, an sui cuiuscunque sint sexus, gradus vel aetatis. d. L. 9. modo heredes instituti, d. L. 9. junct. Nov. 115. Cap. 3. Lauterb. in Coll. Theor. pract. §. 43. vel legitime exheredati fuerint, Mantic. lib. 5. tit. 16. num. 1. Vinn. ad §. 1. ff. de pupill. substit.: Excluduntur igitur, qui nomine liberorum proprie non veniunt, veluti, naturales & spurii L. 6. ff. de his qui sui vel al. jur.: his enim pater, quia legitimam non debet, substituere nequit d. L. 9. mater autem, quae naturalibus & spurii legitimam relinquere tenetur. L. 9. §. 1. de inoffic. testam. eis quoque hoc modo substituit, ex damnato coitu autem natis, adulterinis & incestuosis, neque pater neque mater substituere potest, propter Nov. 74. Cap. fin. & Nov. 89. Cap. ult.

§. VI. Non autem parentum libero, relictum est, arbitrio, ut quemcunque velint, liberis suis substituere possint, sed praescriptum, ab Imperatore modum, praecise observare, & eatenus hanc substitutionem secundum ordinem successione ab intestato regulare tenentur, ut sc. (1.) descendentes, quibus deficientibus (2.) fratres, (quorum nomine NB. etiam veniunt sorores L. 35. ff. de pact. L. 38. ff. famil. Erisc. L. 78. §. 5. ff. ad Sctum rebell. L. 93. §. 3. de legat. 3. Stryk. membr. 3. §. 16. cum allegat) eis sub-

substituunt, quibus autem non existentibus, parentibus
 permittitur quemcunque alium, etiam extraneum sub-
 stituere *d. L. 9.* & hanc doctrinam veteres Juris-Consulti
 passim sequuntur *Fusar. qu. 189. Intrigl. Cent. 2.*
9. 24. & 25. cum multis allegat: *Donell. Cap. 27. Lit. M.*
Ludvv. in Comm. ad §. 1. 7. de pupill. substis. Struv. thes. 34.
 à qua quidem (quia Ordo succedendi ab intestato in *Nov.*
118. Cap. 2. & Nov. 127. Cap. 1. ab Imperatore est immutatus,
 nec hodie amplius, ut fiebat olim de jure *Digestorum L. 1. §.*
9. ff. de suis & legitim. & Codicis L. 11. C. Commun. de success.
 parentes à fratribus excluduntur *dd. Nov.*) non immerito
 recedunt, & parentes hodie etiam ad substitutionem (in ca-
 sum: si ille, cui fit substitutio, descendentes non habeat) vo-
 candos esse, me iudice, recte statuunt Recentiores, quos inter
 sunt *Hopp. in Comment. ad §. 1. Inst. de pup. subst. Berger. in*
Oecon. jur. Lib. 2. tit. 4. §. 8. not. 11. In eo autem (quod tamen
 Celeberrimorum Virorum pace dicere liceat) errare, mihi
 videntur, quando existimant, parentes hodie ante fratres &
 sorores, post hos autem, seu his deficientibus, quoscunque ex-
 traneos substituendos esse, *vid. d. Nov. 118. C. 2. & 3. item 127.*
C. 1. Interim tamen, quibus motus argumentis, nescio, Hos, *fi-*
deliter sequutus est Nobiliss. Dn. Ringmacher / Civitatis Ul-
 menfis Consulens in Camera Imperiali vigilantissimus, in
 problem. jurid. quod quondam edidit Lipsiæ, ubi pag. 14.
 ita differit: *Quandoquidem in substitutione exemplari, non*
quilibet, testatoris arbitrio, substitui potest, sed substituenda
sunt primo loco persona conjuncta, non quidem promiscue,
sed quo ordine succeditur ab intestato, eo etiam ordine quasi
pupillariter substituendi conjuncti. Sic itaque (1.) vocandi
sunt liberi eius, cui hoc modo substituitur, & quidem si non
 D 3 omnes,

omnes, saltem unus vel certi, si autem tales non adsint, substituendi (2.) fratres & sorores mente capti (imo hodie ante fratres & sorores substituendi parentes) post fratres & sorores quilibet extranei &c. pergit: Quid? quod hodie mater collateralibus, si qui essent, tam in successione; quam etiam in substitutione præferretur, cum potius jus habeant parentes hodie (Nov. 118. Cap. 2.) quam olim, tum enim à fratribus excluderentur, hæc enim Dn. Ringmacher; sibi ipsi contrarius, dicit enim: quo ordine succeditur ab intestato, eo ordine etiam substituendi conjuncti, & paulo post, imo hodie ante fratres & sorores parentes &c. Hæc quid, quaeso, aliud, quam manifestam & irreconciliabilem contradictionem involvunt? pergita tamen: quid? quod hodie mater collateralibus, si qui essent, tam in successione, quam etiam in substitutione præferretur, cum potius jus parentes habeant hodie (Nov. 118. Cap. 2.) quam olim, tum enim à fratribus excluderentur &c. quæ, qualis consequentia? parentes hodie habent potius jus, nec à fratribus amplius, uti olim excluduntur, (id, quod lubenter concedo) ergo tam in successione, quam in substitutione his præferendi sunt; neg. consequent. hoc enim exinde non magis sequitur, quam si dicerem: baculus stat in angulo; Ergo cras pluet. Hac vice itaque, parumper hallucinatus est Dn. Ringmacher; non enim parentes in successione ab intestato fratribus & sororibus bilateralibus præferuntur, sed una cum his ad successionem vocantur per dict. Nov. 118. Cap. 2. Unde ex ipsius Dn. Dissidentis regula. quo ordine &c. sequitur nihil aliud, quam quod hodie fratres & sorores bilaterales, una cum parentibus (& non post hos seu his deficientibus demum, prout minus recte existimat) sint substituendi. Et quid si mente captum præter parentes, fratres & sorores bilaterales, etiam præ defunctorum fratrum bilateralium liberos habere, fingamus?

hos

Hos *Dn. dissentiens c. l.* à substitutione penitus excludit, post fratres enim & forores, quoslibet extraneos substitui posse, autumat, id, quod itidem ipsius dictis pariter ac *Nov. 127. Cap. 1.* aperte repugnat, per hanc enim prædefunctorum fratrum bilateralium liberi una cum parentibus defuncti, & patruis suis ad successionem ab intestato vocati sunt, quare, quom prædefunctorum fratrum bilateralium liberi pari jure cum parentibus defuncti & patruis suis gaudent in successione ab intestato *a. Nov. 127. Cap. 1.* eos etiam pari jure gaude-
 re debere, in substitutione, iterum *ex ipsius Dn. dissentientis Regula: quo ordine &c. pronè*, & quidem rectè fuit Conf. *d. L. 9. Nov. 118. Cap. 2. & Nov. 127. Cap. 1.*

§. VII. Quaritur autem quomodo (si mente captus descendentes nullos neque parentes (præter eum vel eam, qui vel quæ substituit) alios; fratres autem bilaterales, & unilaterales habeat, tunc substitutio sit facienda? Hic iterum *DD.* varie sentiunt, prout videre est apud *Intrigl. Cent. 2. §. 27.* Communiter quidem distinguere solent: An pater, an vero mater substituat: illo casu, dicunt, Germanos cum consanguineis, hoc vero casu, Germanos cum uterinis esse substituendos, cum qua distinctione consentit jus provinc. Wurtemberg. *part. 3. tit. 17. rubr. de Exempl. substitu. §.* (doch ist bey dieser) ibi: darbey doch abermahls der Unterscheid zu mercken/ daß/daher der Vatter die substitution verordnet/ daß er allein der gebrechlichen Kinder geschwisterige vordenden Banden/ oder von seiner/des testirenden Vatters Linien hero verwandte Brüder oder Schwestern nach zwischen/die andern aber so allein solcher gebrechlichen Kinder Mutterhalb Geschwisteria wären / ist ihr Vatter nicht / sondern allein die Mutter zu substituiren schuldig. Ceterum patri licere, fratri uterino, matri vero consanguineo

ex-

extraneum praeferre, quo etiam facit, praedictum, quod extat apud Carpz. *part. 3. Const. 8. def. 15.* verb. sentent. dase Jacob Volkmar/ wie recht/darhün und beweisen könte/ das euers Eheweibs halbbrüdtiger Bruder vom Vatter/ noch bey der Mutter Leben / und hernach allewege / mit Blödigkeit oder Wahrwis dermaßen verhasstig gewesen/ das ihn der Prediger göttlichen Worts / auch zum Heil. Abendmahl niemahls nicht zulassen wollen/ so wäre seine leibliche Mutter ihme ihren andern Ehemann seinen Stiefvatter / euers gethauen Fürwendens ohngeachtet/ Inhalts des uns überschickten Testaments / zu substituiren wohl befugt gewesen/ und könte solches von eurem Eheweibe/ beständiger Weise nicht gestritten noch gefochten werden *B. R. B. add. Stryk. membr. 3. §. 19.* an autem hac distinctio *d. L. 9. Nov. 118. Cap. 2. & 3. & Nov. 127. Cap. 1.* fitconueniens? totus dubito; unde propter *dd. text.* hac peculiaris iterum penes me residet sententia quod, non, nisi deficientibus fratribus bilateralibus horumque liberis, unilaterales, non distinguendo: utrum pater vel mater substituat) una cum praedefunctorum fratrum liberis, post hos denique qualescunque extranei substitui possint.

§. VIII. Inter insignes & maxime vexatas quaestiones haec praesens quoque referri posse videtur; quando scilicet, disquiritur: Utrum parentes, qui hanc faciunt substitutionem omnes descendentes, vel fratres, filii mente capti substituere teneantur, an vero unum, vel certos ex eis substituere, reliquos penitus praeterire possint? Non una eademque hac de re est *DD.* sententia. Alii enim, quos inter sunt Bardili *Exerc. 4. §. 31.* Tabor. *de substit. Cap. 4. §. 8.* & *prælaud. Dn. Ringmacher L. c.* existimant, quod utique a barbario parentum dependeat, utrum unum, vel certos vel

vel omnes substituere velint, fundantque sese in verbis *d. L. 9. ibi: querela nulla contra eorum testamentum oritur* &c. & licet *Unum, vel Certos, vel Omnes substituere*. Alii vero, inter quos sunt Treutl. *vol. 2. disp. 11. Thes. 10. Struv. thes. 34.* (quibus ea sententia, quippe dura & ab æquitate naturali quam maxime aliena, non placet) distinguendum esse, autumant, inter descendentes, & fratres mente capti: illos esse omnes substituendos, ad minimum in tantum, ut eis salva sit legitima: hos non item; & ita *dict. L. verba* intelligunt Consent. Jus provinc. Württemberg. Bardil. *d. L. At* vero neutra *d. L. 9.* conformis mihi videtur, cur enim eadem necessitate non tenerentur parentes omnes substituere, quâ tenentur unum, vel certos substituere? hoc mysterium in quo consistat, hæcenus non prehendo: Unde verba *d. L. 9.* pro diversitate casuum (ut sc. testatori vel testatrici liceat substituere, *vel Unum* (intellige) si unicus tantum adsit, *vel Certos*: si quidam forte hereditatis capiendæ sint incapaces, *vel Omnes*, si omnes sint capaces) explicare molo, quam cum illis inhumanam, & ab omni æquitatis ratione alienam sententiam fovere, vel cum his violenta manu conciliationem quærere, vel denique cum Bachovio ad Treutl. *vol. 2. Disput. 11. thes. 10. Lit. E.* usque adeo dict. Imperatoris Constitutionem ab æquitate & humanitate, quam maximè commendabilem, iniquitatis arguere.

§. IX. Postquam hæcenus quid, & quotuplex hæc sit substitutio, item de personis, qui substituunt, quibus substituitur, & quæ his substituantur (quantum quidem compendio fieri potuit) perspectum fuerit, missis nunc aliis, paucis adhuc de *Objecto, Effectu* & *Contrariis* dispiciamus. Veniunt autem in *hanc substitutionem* non tantum parentum substituentium, sed etiam ejus, *Cui* substituitur, bona unde-

Et

cun-

cunque quaesita, quæ omnia (existente Conditione) s; nimirum mente captus, vel si nili animi vel corporis vitio, ob quod testamentum facere impeditur, vel prohibetur, laborans heres fuerit & in ejusmodi statu decesserit) ad substitutum transeunt Intrigl. Cent. 2. qu. 31. quod si autem pater & mater hanc substitutionem fecerint, substitutus à patre, in paternis, à matre datus, in maternis, & eatenus alter alteri præfertur, in ceteris vero aequaliter succedunt secundum ea, quæ supra §. 4. tradita sunt.

§. 10. Evanescit (1.) Resipiscencia & Reconvalescencia. Veluti, si mente captus sanæ mentis factus fueris, furiosus furere desieris, prodigus ad bonos mores redierit, in genere: Remoto animi vel corporis vitio, ob quod quis testamentum facere impeditur vel prohibetur vid. §. 1. 7. de pupill. subst. L. 43. ff. de Vulg. & pupill. subst. & L. 9. C. de impub. & al. subst. dummodo tamen in ejusmodi statu usque ad mortem testatoris permanferit, nam si vivo testatore in priorem morbum reciderit, nec medio tempore sibi testamentum fecerit, substitutio adhuc fortietur effectum d. L. 43. junct. L. pen. C. de Curat. Furios. Stryk. c. L. §. 21. Berger in Occon. Jur. lib. 2. tit. 4. §. 18. not. 12. Ita pariter: si v. g. mente captus ad sanam mentem redierit quidem eoque in statu ad mortem usque etiam permanferit, sed ex post pro prodigo declaratus fuerit, exierit vires suas hæc substitutio, id, quod ampl. five in hunc casum expressè facta fuerit five non; sub uno enim expresso, reliqui non expressi, ex præsumpta testatoris voluntate tacitè continentur d. L. 43. ff. & L. 9. C. ibique DD. add. §. 2. J. quib. non est permiss. fac. testam. Mantic. lib. 5. Cap. 16. n. 20. Struv. Thef. 33. (2.) testamento parentum substituentium in totum

tum infirmato arg. §. 5. J. de pupill. substit. (3.) agnatione sui heredis d. L. 43. (4.) si liberi, mutato fortè mortalitatis ordine, ante parentes decesserint; quo in casu tamen, substitutus vi vulgaris tacite admittitur arg. L. 4. ff. de Vulg. & pup. subst. & L. 4. C. de inpub. & al. substit. DD. communiter. Lauterb. in Coll. theor. pract. h. §. 47. (5.) si substitutus ante institutum filium, v.g. mente captum, mortuus fuerit L. 9. in fin. ff. de suis & legit. Lauterb. §. 46.

SECTIO IV.

DE

Substitutione Militari,

SEU

Privilegiata

SUMMARIUM.

Milites, sicuti passim in jure nostro, ita potissimum in ultimis voluntatibus plurimis gaudent privilegiis: possunt liberis suis quibuscunque, & personis extraneis etiam, in casum: Esi heredes fuerint, ex singulari privilegio directè substituere §. I. Hæc substitutio pro Militis arbitrio ad varios casus, & varia tempora refertur: Estque vel expressa vel tacita §. II. Hoc modo substituere possunt Milites propriè & vere tales, quales describuntur in §. III. Excluduntur autem Vagabundi, Circumforanei, Otiosi. Item Milites togati: Clerici, Doctores, Professores, Advocati &c. §. IV. Subjectum Cui non sunt liberi solum qualescunque, sed etiam personæ extraneæ §. V. Effectus pro diversitate Objecti est diversus §. VI. ultra pubertatem facta valet in vim directæ §. VII. Expirat, prout miles disposuit, etiam corrente ipsius testamento, §. VIII.

§. I.

Quemadmodum personis militaribus non tam (propter literarum imperitam, & Juris ignorantiam (quippe arma magis, quam jura nosse solent *L. 22. pr. C. de jur. delib. junct. L. 15. C. de re milit.*) quam potissimum, ob maxima, quæ pro Republica & Patria sustinent pericula. *L. unic. ff. de bon. poss. ex testam. milit.* in remuneracionem, eumque etiam in finem, ut ad militiam eò magis alluciantur, passim in jure nostro vid. Enekel *de privil. milit.*) ita potissimum in ultimis voluntatibus plurima tributa sunt privilegia; sic (ut quorundam saltem mentionem faciam) possunt, quando sunt in expeditione, quovis meliori modo, absque omni solemnitate, testamentum condere *pr. J. de milit. testam.* adeo, ut eorum voluntas etiam firma sit ac stabilis: *quamvis in Vagina vel Clypeo, literis sanguine rutilantibus quid annotaverint, aut gladio in pulvere inscripserint* sunt verba *L. 15. C. de testam. milit.* Conf. Gothofred. *ibidem in not. sub Lit. C.* qui hæc eleganter explicat, quando ait: *Militibus testamentum facturis in ipso pugne tempore, Vagina, Clypeus, Pulvis, Humus, chartæ vel tabularum loco esse possunt* Nov. Leon. 40. *etiam Nota pro literis L. 40. ff. de testam. milit. Sanguis pro atramento, Ensis pro stylo, Penna ac Calamo.* Cum duobus testamentis *L. 19. §. 2. ff. eod.* pro parte testati & pro parte intestati decedere *L. 6. ff. eod.* personas incapaces e. g. deportatos, peregrinos instituere *L. 13. §. 2. ff. §. L. 5. C. eod. liberos,* quos se habere sciunt, impune præterire *Eisque non minus, ac personis extraneis etiam in casum: Tametsi heredes fuerint, alium dire-ctò surrogare;* inde *substitutio,* quæ vocatur *Militaris, seu privilegiata, vicujus, milites, liberis suis quibuscunque non solum*

*solum, sed & personis prorsus extraneis etiam in casum: Tamen si heredes fuerint, ex privilegio singulari alium dire-
cto, surrogare possunt L. 15. ff. de Vulg. & pupill. substit.
L. 8. C. de testam. milit. L. 8. C. de impub. & al. substit.*

*§. II. Hac pro arbitrio militis ad varios casus & va-
ria tempora referri potest. Vel ad tempus mortis illius
cui fit, vel ad tempus pubertatis, vel ad tempus 25. an-
norum & sic deinceps. L. 41. ff. de milit. testam. L.
15. ff. de Vulg. & pupill. substit. Paul. Leon. in mar. direct.
milit. n. 8. & 9. Dividiturque à DD. in expressam quæ
expressis & specificis fit verbis v. g. si intra quintum &
vigesimalium annuum deceaserit, Cajus heres esto Et tacitam,
quæ fit verbis generalibus & indefinitis v. g. quancumque
deceaserit, Cajus heres esto. Quæ ceteris paribus, vulgarem,
pupillarem, & Exemplarem comprehendit. Unde DD.
Eam appellarunt compendiosam.*

*§. III. Substituunt itaque, hoc singulari & privilegiato
modo soli Milites propriè & verè tales, sive de cetero in Ca-
stris sive extra Castra versentur Paul. Leon. ed loc. n. 104.
Cum seqq. sive Limitanei sint (die/ so auff den Frontieren
liegen) sive Stationarii & Præsidarii (die/welche auff den
Befestungen in Besatzung seyn/ sive alii similes: modo ab
eo, qui jus habet belli gerendi, lecti, Rotulis & Ma-
triculæ inscripti, & militia sacramento obstricti fuerint.
Qui (uti Paul. Leon. L. c. ait) armis vere incumbunt, &
parati sunt Republicam tutari & in esse tutantur, cum ex-
pedit, & quoties res ipsa postulat & mortem etiam pro illa
oppeere non recusant, militaria privilegia merentur. Unde
non immerito hoc privilegium extenditur ad Equites
Aurei Velleris, Divi Georgii, Divi Michaelis, Divi Johan-
nis, Divæ Virginis &c. vid. Enerk. lib. 1. Cap. 6. n. 6. & seqq.*

§. IV. Excluduntur autem *Vagabundi, Circumforanei* Otiosi, qui instar latronum huc illuc in pagis vagantur & Rusticorum gallinas anseresque furantur (prout Nos ad vivum quasi depingit Jure Consultus quidam) Item *Milites togati*, ut sunt: *Clerici, Doctores, Professores Advocati &c.* Paul. Leon. num. 174. cum seqq. Intrigl. Cent. 2. quæst. 88. & 89. Nec quicquam hoc in passu pro *His* facit elegans alias textus, qui habetur in L. 14. C. de *Advocat. divers. Judic.* ubi Advocati comparantur cum militibus armatis: *Advocati, qui dirimunt ambigua fata causarum, sueque defensionis viribus in rebus sæpe publicis ac privatis lapsa erigunt, fatigata reparant, non minus provident generi humano, quam si præliis atque vulneribus patriam, parentesque servarent: Nec enim solos, nostro Imperio, militare credimus illos, qui gladiis, Clypeis & thoracibus nituntur, sed etiam Advocatos: militant namque causarum Patroni, qui gloriose vocis confestim munimine laborantium spem, vitam & posteros defendunt.* Enim vero comparatio, quæ hic fit inter Advocatos & milites armatos non est *omnimoda* seu *absoluta*, sed *respectiva*; comparantur quidem cum Militibus armatis quoad *Dignitatem, Præstantiam & Utilitatem*; quippe *Advocati* tam necessarii & utiles sunt in *Judiciis*, quam *milites armati* in *bellis*, quo etiam collimare videtur id, quod extat in proem. J. vers. *Imperatoriam Majestatem &c.* Exinde autem minimè inferre licet: Ergo *Advocati* etiam jure *militari* substituere possunt, tantò minus, quia in eis cessat non solum *ratio imperitiæ literarum & ignorantie juris*, quæ culpæ annumeratur vid. L. 2. §. 43. de O. 7. sed etiam *ratio periculorum*, non enim milites togati ejusmodi periculis (quibus milites armati vid. *dict. L. unic. ff. de honor. possess. & testam. milit.*) sunt obnoxii, ut taceam, privilegium per-

personale exorbitans quale est hoc præsens d. L. 15. ff. de
Vulg. & pupill. substit. L. 8. C. de *impub. & al. substit.* & L. 8.
 C. de *testam. milit.*) ultra personas privilegiatas, ne quidem,
 ob rationis identitatem extendi posse §. 6. J. de J. N. G. &
 C. L. 1. in fin. ff. de *Constit. Princ.* L. quod contra ff. de R. J.
 L. 3. in fin. C. de LL. & L. 15. quando pr. C. de *inoffic. testam.*
 Enekel Cap. 9. per tot.

§. V. Ex eis, quæ modo supra in fin. §. 1. diximus,
 non adeo obscurum (uti opinor) esse potest: Quibusnam
 personis hoc modo substituatur. Substituatur autem li-
 beris quibuscunque non *impuberibus* solum, sed etiam
puberibus, emancipatis, scienter præteritis etiam personis
prorsus extraneis, in casum. Tametsi heredes fuerint. Mi-
 lites enim, sicuti heredem ex certo tempore & ad certum
 tempus instituire L. 15. §. 4. L. 41. princ. ff. de *testam. mi-*
lit. L. 8. C. eod. ita eodem modo substituere possunt. Sub-
 stitutio namque, est *secunda heredis institutio. vid. supra §. 2.*
 Quomodo autem hac à reliquis differat; ex hisce, & præ-
 ced. Sect. uberius colligi poterit.

§. VI. *Effectus* pro diversitate *Objecti* est diversus: In-
 terdum bona patris & filii omnia præsentia, & futura in ca-
 su: *si filius heres fuerit, & intra pubertatem deceaserit* L. 11.
 §. 2. ff. de *Vulg. & pupill. substit.* interdum solius patris bona,
 cum fructibus in hereditate repertis in Casu: *Si forte filius*
post pubertatem deceaserit d. L. 15. ff. eod. ibiq; Brunn. n. 2. add.
 In trigl. Cent. 2. q. 85. n. 14. interdum solius filii; quando scilicet,
hic ex hereditate vel præteritis fuit, & infra pubertatem
decessit Brunn. ibidem n. 2. & 3. interdum vero ea duntaxat
 bona, quæ extraneus institutus, ex testamento militis conse-
 quutus est in hanc substitutionem cadunt, & ad heredem
 substitutum transeunt.

§. VII.

§. VII. Non autem prætereunda est Quæstio, quæ hic à DD. passim moveri solet: Utrum nimirum hæc substitutio militaris seu privilegiata ultra pubertatem valeat in vim directæ? Circa quam diversa prostant Opiniones vid. Paul. Leon. *L. c. n. 56. cum multis seqq.* Una est affirm. Altera Neg. Tertia Disting. Ex quibus tamen prior affirm. magis aridet, quippe quæ, non solum fundatur in *d. L. 15. claris verbis: Centurio filius, si intra quintum & vicesimum annum ætatis sine liberis vita decesserint, directo substituit, intra 14. annos etiam propria bona, filio substitutus jure communi capiet; Post eam autem ætatem ex privilegio militum patris duntaxat, cum fructibus inventis in hereditate.* Sed etiam ex aliis juris text. *L. 28. 29. & 41. ff. de testam. milit. & L. 6. in fin. & L. 12. C. cod. junct. L. 1. §. 18. L. 3. §. 1. ff. ad SCtum trebell. & L. 7. C. ac L. Falcid.* haud difficulter probari poterit, Conf. Enekel *dict. Tract. lib. 2. pri. vil. 16. n. 96.* Lauterb. *in Coll. theor. pract. lib. 36. tit. 1. §. 38.* Nec obst. *L. 8. C. de impub. & al. substit. ibi: Veluti ex causa fideicommissi, bona, quæ cum moreretur, patri ejus fuerint, à te peti possunt.* Enim vero particula: *Veluti* improprietatem, & quod propriè sic dictum fideicommissum non substit, satis sufficienterque denotat, Consent. præter alleg. apud Intrigl. *Cent. 3. q. 6.* Donell. *ad d. L. 8. & Hahn. ad Wesenbec. tit. de vulg. & pupill. substit. n. 7.*

§. VIII. Expirat, prout ipse miles disposuit vel corruente testamento militari.

Hæc sunt paucula illa, quæ de Substitutionibus Directis, pro ingenii modulo in publicum mittere, & solenni Eruditorum Examine offerre volui, debui, plura ad-

addere supersedeo, non ideo quidem (quasi cum Wesembec. paratit. de vulg. & pupill. substit. putarem: *Hujus materiae desuetudinem & insolentiam esse tantam, quanta ejus est subtilitas & altitudo, ut proinde pigeat, (prout ulterius ait) in re ab usu Judiciorum nostrorum remotissima multum operæ collocare, & turpe sit (juxta Catull.) difficiles habere nugas, Et stultus labor sit ineptiarum.* Absit enim hoc quam remotissimè à me! Non enim solum omnium ferè Academia- rum hac de re Saluberrima Instituta, sed etiam Jure Consultorum tam Veterum, quam Recentiorum in contrarium profert testimonia) sed quoniam hac de materia, integrum Tractatum vel Commentarium non, sed Dissertationem inauguralem duntaxat conscribere volui. Abs Te interim L. B. etiam atque etiam contendo, ut, si quæ fortè minus rectè fuerint tradita, nimia hujus materiae subtilitati id adscribere, nec non Iuventuti quid indulgere omniaque in meliorem partem interpretari velis. DEO autem ter

Optimo Maximo pro concessa Spiritus Sancti Gratia sit Laus Honor & Gloria
in seculorum secula.

F I N I S.

Et

COROL.



COROLLARIA.

1.

Existentia LL. Div. posit. univers. verè talium, frustra à quibusdam in dubium vocatur.

2.

Marrimonia fratrum & sororum non sunt contra Jus Naturæ.

3.

Non sequitur: Sponsalia purè & verbis præsentis temporis sunt contracta; Ergo in sensu Juris Canonici, de præsentibus sunt dicenda.

4.

Levitic. 18. & 20. non personæ tantum, sed etiam gradus prohibentur.

5.

De peculio adventitio irregulari non valet testamentaria dispositio.

6.

Errant, qui dicunt: differentiam hodiè omnem inter Contractus bon. fidei & Stricti Juris esse sublatam.

7.

Spacio triginta annorum Annuis Reditibus in totum præscribitur.

8. Usus-

8.

*Usufructus rerum mobilium per non usum, spacio triennii
extinguitur.*

9.

*Fratribus & sororibus Germanis & Consanguineis utus
que turpibus, eademque, quâ Institutus maculâ laborantibus
competit querela.*

10.

*Quæstio: Utrum victoria querulantium prosit reliquis ab
intestato aliâ successuris? multis involuta est difficultatibus.*

11.

Agnatus, non etiam filius, feudum ab alodio separare potest.

12.

*De feudo mere hereditario testamentaria dispositio non est
prohibita.*

13.

*Femina per existentiam masculi semel exclusa, non manet
perpetuò exclusa.*

14.

*Per alienationem sine consensu Domini directi factam
Vasallus: Tamen si realis traditio non fuerit subsequuta, feu-
do privari poterit.*

PRÆ - NOBILISSIMO ATQVE CLARE DOCTO
DN. NEDELMANNO,
 JURILIM CANDIDATO DIGNISSIMO,
 FAUTORI ATQVE CONVICTORI SUO HONO-
 RATISSIMO.

TAndem ergò & Tu, lectissime Dn. NEDELMANNE, prodis in publicum, & post quadriennium in Coloniensi atque hac nostra Ludoviciana exactum, specimen haut vulgare profectuum Juridicorum, quos eò intervallo fecisti, edis. Nimirum, noluisti, quod bene multi, non optimo exemplo, hac tempestate faciunt, studiorum Academicorum spacia, saltu velut quodam, transmittere, sed per gradus incedere maluisti, ne quidquam videri posses intactum reliquisse eorum, quæ ad Viri non vulgariter docti characterem requiri censentur. Domesticus ego testis sum, non mediocri diligentia, ex quo Academiam nostram ingressus es, Te diurnâ nocturnaue manu, Juridica studia & Collegia tractavisse, atque eò pervenisse, ut maximò meritò tuò supremos in Jure Honores Tibi jamdudum decreverimus. Maçtè istâ virtute Tuâ, Vir Præcellentissime, ut, quemadmodum Tibi nunc de novis Honoribus gratulor; ita de Te, velut novo ornamento, amplissima Familiæ Tuæ possim aliquando gratulari.

IMMANUEL WEBER /
 Antecessor Facult. Jurid, h, t. Decanus.

Quos

Q Uos Tibi decrevit venerandus Juris honores
Ordo, illi egregia atque omine multa ferent,
Officiumque, decus præclara & munera ut opto
Nec deerit voto, splendida sponsa Tibi.

Ita paucis verbis, sed prolixo affectu
Præ-Nobiliss. Dn. CANDIDATI
novis honoribus applaudit, & o-
pratissima quævis apprecatur.

JOH. HENR. MOLLENBEC,
J. U. Dr. Prof. Juris & Philos, ut &
Consil. Hassiacus,

V Ista fuere olim, quæ tradis, dogmata nugæ
Difficiles magno Juris in arte viro.
Terreat hoc alios: Tu nil commotus ad ista
Ingenii nervos sollicitus faciles,
Non TIBI difficile est, studio si quid pote vinci;
Non nugæ quicquid lexque forumque jubet.

Præ-Nobilissimo atque Doctissimo Dn.
CANDIDATO Auditori suo per sesqui
annum ex opratissimo & perquam se-
dulo, ita applaudere voluit.

JO. FRIED. WISE/
Prof. Jur. Extraord. & Facult.
Jur. Assessor.



DUM TIBI pro meritis summi tribuuntur honores,
Ne desim officio, candida vota fero.
Id suadent immensus amor, candorque perennis,
Queis TE, fautorem, prosequor atque colo.
Quæ non grata aliis, TIBI sunt jucunda, laboris
Sudorem & quævis fers tolerasque lubens:
TU virtutis iter templumque secutus honoris,
Præmia nunc tanto digna labore capis.
Nam TIBI jam Giesæa cinguntur tempora lauru,
Cumque palæstritis digna brabeia feres.
Sit TIBI faustus honor, quem nunc acquiris, & illum
Cum decore atque pari prosperitate geras.
Hæc habeas, & vive diu per Nestoris annos
Nec tamen & nostri dememinisse velis.

Hicce pereximio Dn. NEDELMANNO
fautori & amico suo æstimatissimo
gratulabundus applaudit
CAROLUS AUGUSTUS BÖHMER,
Hallenfis.



Viderat assiduo pridem Themis alma labore
TE sua solerti volvere scripta manu;
Atque diu nullo pensarat munere curas,
Omnia quæ iusta pendere lance solet.
Tandem quanta TIBI sit parta scientia; quanta
Ingenii virtus commoda ferre queat;
Quantus amor sancto sedeat TIBI pectore recti,
Vidit & est nostro munere dignus, ait:

Itc

Ite Sacerdotes, age, tempora cingite lauru,
Huic date certa mei signa ministerii;
Hunc ego, qui totus mihi seruiat, ipsa sacraui;
Sacris ille meis præficietur, ait.

Præstantissimo Dn, CANDIDATO, amico
conjunctissimo, dignam hanc ipsius eru-
ditiōne fortunam precatur

JOH. GODOFREDUS KUHN,
Ladenburgo - Palatinus, LL. & Histor. Cultor,



Capta tenent varia mortalia pectora cura,
Sedulaque in multis est studiosa cohors:
Ille *feras* sequitur, *lasciva* hunc gaudia mulcent,
Et levibus plumis, *Molliter* ille cubat
Hic avidus lapidum patulo trahit ore *Falernum*.
Ludendo multi fallere tempus amant,
Ast TIBI præ reliquis placuerunt *Palladis* arma,
Queis licet incultam pellere barbariem,
Hoste triumphato mater struit Alma Tropæum,
Quod decori & magno sit TIBI Præsidio.

Hæcce paucula in perpetuam memoriam
addere volui,

JOH. PHIL. MOLL, LL. C.
Manhemio - Palatinus,



Laudem nunc magnam, qui scandis, Amice, cathedram,
Quisque TIBI tribuat; rem facis egregiam.
NEDELMANN Sophiae demonstras splendida signa,
Unde tuum nomen, cum studiis pateat.

Gratulor

Gratulor ex animo TIBI nifus grator honores
 Summos, quos recipis, non sine promeritis.
 His vigeas per multos, ut patriæ decus, annos,
 Ac tandem Numen, cuncta beata dabit.

Hifce

Pereximio & præstantiffimo Dn. CAN-
 DIDATO, Amico & conterraneo fuo
 præ multis honorandø, ftudium &
 obfervantiam declarare voluit

FRIED. HERM. CRUSE,

Effendia Weftphalus, S. S. Theol. Cultor.



Iohañes georgIVs neDeLmañVs IVrIs CVLtor.

per anagramma:

o LVCrVM ftVDII! anne graVes eLIgIs honores?

NobILIs apportat frVCtVs InDVfrla MVLtos,
 EXIMlè sVperI benefaCtIs faCta repenDVnt,
 DIVItIas aStræa pLaCens LargItVr & aVrVM,
 Et theMIs eXCeLLens VItVtIs traDIt honores,
 LaVDe perInsignI qVoqVe Larga MInerVa Coronat.
 MIros eXqVrIs, faVtor DILeCte, Labores,
 ALtIVs hInC sVrgIs, Dat MVnera LLibera phœbVs,
 NaMqVe rIbl sVaVes CertanDo aCqVrIs honores;
 NIsVs LaVDo, rIbl Latè qVoqVe grator AMICE,
 Vt CeDant, VoVeo, IaM faVtè Insignla faCta,
 S VppetIs gratIs NVMen sVCCVrrat & adSIt.

Ita DoMIno sVo Conterraneo gratVLarl VoLVIt

IOHANNES MATTHIAS VOGT,

Lennepa-Montanus, S. S. Theol. Cult.








X2368855





1724,4 4

Q. D. E. P.

DISPUTATIO JURIDICA INAUGURALIS,
DE

SUBSTITUTIO-
NIBUS DIRECTIS,
QUAM
SUB PRÆSIDIO
SS. TRIADIS
EX DECRETO & AUTHORITY INCLYTÆ
FACULTATIS JURIDICÆ
IN
CELEBERRIMA LUDOVICIANA
PRO LICENTIA,
SUMMOS IN UTROQUE JURE
HONORES
RITE AC LEGITIME CONSEQUENDI
SOLENNI EXCELLENTISSIM. ACADEMIÆ PROCERUM
EXAMINI OFFERT
DIE AUGUSTI MDCCXXIV.
JOH. GEORGIUS NEDELMAN
ASSINDIA - WESTPHALUS.

P. 279 P. 287 281

UNIVERSITÄT
WESTPHALIA

GIESSÆ, TYPIS VID. IO. REINH. VVLPII ACAD. TYP.